



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Vicarivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

esse, quod peccatum constituerit mortale. Nam ex nimia venatione contingit, quod minorem homines habent curam de familia. de sepulchris, vel alijs, ad quos tenentur. Quinto, quando domini priuant alios ne possint venari, quod est contra naturalem legem, hoc enim tyrannicum est: secundum Cae. in summ. ibi, contra bonum commune, contra libertatem & utilitatem, & tantum est propter proprium bonum delectationis. Ideo non excusatur à mortali tales, maxime quando apponunt poenam notabilem alijs venantibus, nisi ab antiquo, cuius principij non esset recordatio, venationes sint domino reseruatæ, & tunc etiam poena debet moderari. Non enim propter vanam venationem æquum est ut quis occidatur, vel mutiletur, neque tales leges vel statuta videntur tolerabilia, & iusta.

VENDITIO.

Venditio, supra, Emptio, & Negotiatio, & Monopolium, per totum.

VERBERATIO.

VERBERANTES scholares causa correctionis, & patres filios clericos etiam in sacris, licite faciunt, nec incidunt in canonem, si moderate faciant. sup. Excommunicatio. 1. Non enim hoc fit suadente diabolo, sed iustitia.

VERBERATVS ex eo quod non potest solvere, si veniat ad pinguiorem fortunam, non tenetur amplius solvere: secundum Bal. in l. si. f. in ius voc. quia luitio corporalis cedit loco solutionis. glo. in c. sicut indignum. de homi. Secus est, si est impotens, & differatur solutio, quia tenebitur quando venerit ad pinguiorem fortunam. e. Odoardus. de sol. & ibi Pa. Si autem est impotens, & cedit bonis, & non luit poenam, tenebitur: ut dicitur gl. in regul. peccatum. in 6. licet aliqui contrarium teneant, primum tamen melius. supra, Restitutio. §. 55.

VESTIS.

Vestis, supra, Ornatus, per totum. Consecratio. §. 12. Benedictio. §. 3. Abbas. §. 8.

VICARIUS.

VICARIVS est, qui alterius vices gerit, sive in officio contentioso,

sive non, extra de eodem, per totum. Et in direc. li. 3. tit. 8. c. de of. eius qui vi. al. ge. per totum.

VICARIORVM quidam sunt perpetui, & non ad tempus, ut qui ecclesiarum parochialium curam habent, & qui episcopi auctoritate constituuntur, c. ad hanc. de of. vic. & tales aliam vicariam habere non possunt. c. provideas. eo. ti. nec sine causa possunt amoveri. d. c. ad hanc. & debent habere 25 ann. & promoueri ad sacerdotium. in cle. quæ de ecclesijs. eod. ti. aliam ipso facto sunt privati, & tales constituuntur solum ecclesia parochiali, non rurali: secundum glo. in cle. vnic. eod. ti. & non possunt constituere vicarium alium perpetuum, sed bene temporale: ut dicit Car. ibi. Potest tamen instituire perpetuum vicarium auctoritate Episcopi rector ecclesie: secundum Arch. Flor.

QVIDAM sunt vicarij temporales, sicut mercenarij in adiutorium curæ animarum assumpti, quando scilicet rector per viam delegationis committit illi auctoritatem audiendi confessiones, quia hoc potest, etiam non habenti curam animarum, nisi sit ei prohibitum, ut perogrino, & ignoto. de cle. peregr. per totum. quia committere illis, ad Episcopum spectat. c. tua. de cler. peregr. Idem si committatur religioso, cui à sua regula, vel prelato prohibetur.

ALII sunt vicarij deputati super aliqua diocesi, vel prouincia, vel loco, de quibus est c. pe. eod. tit. & e. adijcimus. 16. q. 1. qui dicuntur iurisdictionales, tantam habentes auctoritatem, quanta eis conceditur. c. accepimus. de pri.

ALII sunt vicarij generales, qui ad omnia incumbunt prelato constituuntur, non solum respectu curie, sed etiam respectu omnium incumbentium, & possunt cognoscere causas totius diocesis, inquirere, corrigere excessus, & huiusmodi non tamen beneficia conferre. c. cum generali. eod. tit. habent ordinariam iurisdictionem, & possunt excommunicare, sed quia in Italia vicarius, & officialis ratio differunt, inspicienda est eorum commissio, quæ & quanta sit, & iuxta illius tenorem iudicare.

¶ **A**LI dicuntur vicarij foranei, vel quia foris diocesi constituebantur, vel ex eo quod teneant forum, vel quod de foris veniant, & est officialis Episcopi, non habens ordinariam iurisdictionem, sed delegatam, non faciens consistorium cum Episcopo, sicut vicarius generalis, & non potest ea, quae prohibentur illi, in c. licet. eod. tit. in 6. nisi haec specialiter committantur. ideo commissio ei facta debet inspici. Et not. quod merus secularis, vel clericus vxoratus non potest esse vicarius Episcopi: secundum Pan. in c. 2. de cle. coniug. Et dicit Pan. in c. pastoralis. de rescri. quod quidam est perpetuus, quidam temporalis.

7 **P**REDICTI vicarij temporales regulariter vicarium facere non possunt. c. clericos. eod. tit. etiam si habeant iurisdictionem ordinariam, quia non habent eam iure suo, intellige nisi habeant speciale mandatum substituendi, vel nisi sit consuetudo: quia instituens vicarium, & sciens consuetudinem, videtur consentire in illam, vel quando non potest totum per se facere, quia intentio instituentis est, quod faciat solum quod potest, & si sic archiepiscopus vicarius episcopi in spiritualibus, potest alium substituere. de offic. archiepiscopi. ministerium. sed dictus vicarius non potest totum committere, in casu quo non potest omnia per se, sed partem. Host. dicit quod ad modicum opus, & ex magna causa. & non nimis frequenter poterit alium relinquere loco sui, sicut fit tota die. arg. ff. de offic. eius cui man. est l. 1. §. 1. & c. peruenit. de appel. el. 2. quando autem speciale mandatum potest: quia non propria auctoritate hoc facit. Io. And. in c. 1. de of. vic. lib. 6.

¶ **V**ICARIUS tantam auctoritatem habet, quantum vult dare eius institutor, & si hoc patet, standum est illi: quod si non patet, & est vicarius in aliqua causa particulari, tunc de illa, & de his sine quibus non potest eam perficere, se impediat, & non plus. Si vero est generalis commissio, etiam dicendo, ut possit omnia, quae ipse possit, non exprimen-

do aliquid, quod requirat speciale mandatum, etiam si dicat, si requireret speciale mandatum, secuta clausula generali dicendo, & omnia alia quae per nos possumus, etiam si exigeret speciale mandatum. Tunc quavis habeat ordinariam potestatem, tamen non poterit ea, quae requirunt speciale mandatum. arg. in c. qui ad agendum. de procur. lib. 6. Si vero exprimat aliquid, quod requirit speciale mandatum secuta generali clausula, videlicet & omnia alia, quae nos possemus, etiam quod requireret speciale mandatum, tunc poterit omnia, quae posset instituens ordinariam potestatem. glo. fi. in c. 2. de offic. vic. lib. 6. Alias per generales clausulas, quae verisimiliter non esset concessurus, non veniunt, c. fi. in 6. de of. vicar. tam in tex. quam in glo. & c. 2. ibi.

¶ **T**EM si nominaret aliquod speciale, & cum clausula generali, & c. non tamen intelligitur concessum id, quod verisimiliter non esset in particulari concessurus, ut quia est magna importunitas: ut si constituo Titium procuratorem ad omnes causas, non tamen ad contrahendum matrimonium, nisi de hoc fiat specialis mentio: nam clausula generalis, quae sequitur speciali expressa, includit similia, non longe maiora: ut dicitur in d. c. fi. imo etiam si specificaret de matrimonio contrahendo, & non specificaret de persona, non valeret. Haec autem, ut habetur in d. c. 2. & c. fin. sunt quae requirunt speciale mandatum, scilicet inquirere, corrigere, deponere, subditorum excessus punire, conferre beneficia, dare literas commendatitias ad ordines. Et si Episcopus suo subdito eligendi sibi idoneum confessorem licentiam dederit, non propter hoc a refectione absoluti poterit. c. si episcopus. de poen. & remis. lib. 6. quia in concessione generali illa non veniunt, quae quis verisimiliter non esset concessurus in specie: ut supra dictum est, & ibi in text. Genus enim continet species non actu, sed potentia.

¶ **M**ORTVO praelata habente vicarium, ipse vicarius (vel si alio nomine vocetur) si fuit electus a toto conventu,

vel à collegio patrum, vel si habet auctoritatem à lege, quia ista durat, persequatur & ipse, secundum Pan. in ca. 1. ne sed. vac. ali. Inno. secus est, si factus est à priore, episcopo, abbate, vel alio prelato, quia non durat eo moriente. Cessat etiam vicarij potestas, episcopo excommunicato. Pan. in ca. 1. de offic. leg. Intellige secundum quosdam re integra: quia idem iudicium est, sicut de legato, secundum Pan. in c. licet. de offic. delega. Secus autem quando res non est integra, secundum Ioan. And. in d. c. 1. de offic. vic. Not. etiam secun. Pan. in c. volente. d. of. del. posito vno vicario, reliquos non remouetur: licet contrarium tenuerit Io. Cal.

VINDICATIO.

VINDICATIO vna est, quæ per iudicem, vel superiorè exercetur secundum quod iura disponunt diuina, vel humana, & si fiat secundum rectam intentionem, est actus bonus à virtute procedens. Altera, quæ sit, seu appetitur à persona priuata, & quantum ad actum vindicandi illicitum, est priuata persona, nisi propter defensionem cum moderamine, vt supra, Homicidium. §. 3. Est enim actio habetis potestatem super eum, qui punitur. Quantum autem ad appetitum non est peccatum appetere vindictam, id est, iustam punitionem malorum hoc est enim appetere iustitiam, dum modò non appetatur ex odio, vel gratia satiandi animam, vel alio malo fine, sed vel propter correctionem delinquentis, vel vt alij timeat, vel propter bonum pacis, & huiusmodi: aliter vindicantes se, vel vltionem appetentes, & non prædicto modo, mortaliter peccant, nisi ex imperfectione actus vel in re parua. Potest etiam quis querere vltionem de propria iniuria, quando redudat in vituperium Dei, sicut fecit Siluerius Papa, qui excommunicauit eos, qui eum exulem fecerant fieri. 23. q. 4. c. Guilifarius. vel quando vergit in detrimentum animarum, vel in scandalum: quia non est contra charitatem, alias patienter ferre laudabile est. c. tu bonus tolera. 27. q. 4. Mali ad exercitium bonorum à Deo permittuntur, ideo patienter tolerandi sunt.

VINVM.

VINVM non bibentes, ordinari ad sacerdotium non possunt. Ex eo enim quod vinum abhorrent, possent vomere sacramentum. ar. in c. si quis per. de conf. dist. 1.

VIRGINITAS.

VIRGINITATEM seruare non solum est licitum, sed laudabile, non quia sit præceptum, sed consilium, iuxta illud Apost. De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. Et quia posset quis obijcere præceptum Dei, scilicet, crescite, & multiplicamini, & c. dicitur, quod sufficit hoc ab aliis quibus adimpleri, & non est necessesse ab omnibus. Imò expedit aliquos cælibem vitam ducere: vt vacent cõtemplationi. Quinimò cæteris paribus, virginitas præfertur coniugio: secundum The. secunda secundæ. q. 152. a. 4. Præceptum enim illud multitudini, non singulis datum est.

VIRGINITAS non perditur, si virgo dormiens violetur, dum modò quando iuit dormitum, hac intentione non iuerit: nec si vi opprimatur, dum modò non cõsentiat in talè delectationem, licet sentiat eam: neque dum patitur seminis fluxum, dum modò renitatur quantum potest, etiam quæ corporalem habeat delectationem, Nam virginitas principaliter cõsistit in deliberata voluntate, non experiendi veneream delectationem, quæ sentitur in emissionem seminis.

VIRGINVM

consecratio.

VIRGINVM consecratio solum ad Episcopum pertinet, cui ecclesie cura committitur, & in tali consecratione confertur gratia: secundum Tho. 4. sent. d. 38. q. 1. nisi sit obex: non ex vi sacramenti: quia sacramentum non est, sed ex opere operantis.

MVLIERES virgines mente, sed corpore corruptæ (quia violenter, siue dormientes, siue aliter fuere corruptæ) non debent consecrari, quauis virginitatem non perdidissent formaliter: quia ecclesia tantum de exterioribus iudicat, & ad hoc est cap. ille. 32. q. 5. Quæ autem corpore incorruptæ sunt, licet mente